



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicæ, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

Decisiones Miscellanæ

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Decisio XXIX. Argumentum. Declaratur, quinam sint Usurarii manifesti; & duodecim poenæ infrictæ de Jure contra illos.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94626](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94626)

circa bonitatem intrinsecam pecuniæ; & ideo statutum fuit; ut solutio fieret in pecunia nova, ita tamen ut suppleret intrinsecam bonitatem, & qualitatem pecuniæ antiquæ, super qua erat obligatio. *Rebell. d. lib. 11. quæst. 15. num. 4.* unde retorquentur dicti textus, & deserviunt ad favorem Andreæ mutuantis, dum decernitur in eis; servandum esse indemnem ipsum creditorem circa bonitatem intrinsecam, qualitatem, & numerum nummorum sibi debitorum; quod quidem illud idem est, quod petit Andreas: cui si dantur centum Zecchini illius ponderis, bonitatis, & qualitatis, cujus erant illi à se Petro mutuati, contentus omnino erit, sive eorum valor, aut æstimatio extrinseca aucta, sive diminuta sit; & hanc sententiam approbant Bartol. & omnes Jurisperiti in *d. l. Cum quid, & l. Paulus ff. Si cert. petat. ac Covarr. & Canonistæ in d. cap. Cum olim, & cap. Cum Canonis. De censib.* Nam si cuderentur novi Zecchini majoris ponderis, & intrinseci valoris, quam hucusque cusi sunt, Andreas non posset centum repetere à Petro, sed tot quot compensarent pondus illorum centum à se datorum, juxta textum in *d. cap. Cum Canonis. De censib.* Et è contra si novi Zecchini à Principe formarentur minoris ponderis, recipere deberet Andreas majorem numerum, quam centum usque ad debitam compensationem ponderis, & bonitatis ejus centum Zecchinorum juxta *supra cit. cap. Olim.* ut docent Gabriel *com. conclus. de Solut. concl. 1. Rota coram Buratto Decis. 626. sub. num. 3.* & Ibi Ferentill. in *Addit. lit. A. Layman. dict. lib. 3. tract. 3. part. 1. cap. 5. numer. 19. & 26.* & Paulus Rubeus in *Annot. ad dict. decis. 67. part. 9. recent. num. 12.* ubi testatur, hanc esse communem opinionem, & receptam tam in Scholis, quam in Palatiis.

DECISIO XXVIII.

ARGUMENTUM.

Referuntur media attrahendi plebem ad audiendum Verbum Dei, & ad discendam in Ecclesia Doctrinam Christianam.

SUMMARIUM.

1. Ecclesiam ut Parochiani frequentent, quibus mediis urendum?
2. Rhetorica Ecclesiastica Cardinalis Valerii commendata.
3. Mansuetudo Parochi attrahit plebem.
4. Fiducia in Deum fructuosa.
5. Hercules mystica fabula.

CUM fuisset quæstum quibus mediis Parochi obtraherent, ut populi festinent audire Verbum Dei, Conciones, ac Christianam Doctrinam.

Primò. Alii dixerunt, si illa quatuor Præcepta serventur, quæ notata fuere ad casum Prudentialem in *Decis. XXIIV.* Proximè præterita; videlicet, 1. Quò ad ipsos Parochos. 2. Quò ad materiam. 3. Quo ad Auditores. 4. Quò ad modum loquendi, & prædicandi. Ideò dicta præcepta executioni mandentur ab omnibus animarum Rectioribus, nec non à Concionatoribus libello Rhetoricæ Ecclesiasticæ Eminent. Cardin. Valerii, typis impresso anno 1672. Patavii per Matthæum Cadorinum Bibliopolam, studeatur.

Secundò. Alii, Si Parochus omni die festo non solum prædicaverit, & doctrinam Christianam docuerit, sed populum invitaverit, ut lubens accedat; nam *Bos capitur cornu: Voce ligatur homo:*

Tertiò. Alii; Si mansuetis verbis, comitate, ac charitate utatur Parochus in convocando populo ad imitationem Apostoli, qui aiebat *Philipp. 1. 8. Testis est mihi Deus, quomodo omnes Vos cupiam in Visceribus Christi.*

Quartò. Alii: Si Parochus perseveraverit in docendo, & prædicando, habens fiduciam in Domino; ait enim *S. Bern. in lib. 4. de Consid. Fac tu quod tuum est; nam Deus, quod suum est, curabit. Planta, riga, & tuas implevisti partes: sane ubi voluerit, incrementum dabit Deus. Ubi forte noluerit, tibi deperit nihil.*

Quintò. Alii; Ut constantiam Parochi in prædicando, & docendo necessariam ostenderent, dixerunt, Herculem, constantiæ Typum, ab antiquis figuratum habere catenam in ore, qua ducebat turmam magnam populorum in auribus devictorum; unde Alcibiades emblema formavit, & cecinit:

Cedant arma toga, & quamvis durissima corda.

Eloquio pollens ad sua vota trahit.

Sexto. Alii; Si frequenter Parochi declarabunt necessitatem, & utilitatem audiendi Verbum Domini; tum; quia *Quod corpori est cibus, hoc anima est divinorum eloquiorum doctrina. S. Greg. hom. 6. & est signum Prædestinationis; Qui ex Deo est, Verba Dei audit. Joan. 8. 47.* tum etiam quia innumera sunt exempla converforum ad poenitentiam, ob auditum Verbum Domini, ut de David, Nabuchodonosor, Josaphat, Augustino, & aliis.

Septimo. His mediis, propriis quidem, & efficacibus, unum aliud propriissimum, & efficacissimum addidit Curia Episcopalis, videlicet, si Parochum delectabit studium sacrorum librorum, & munus prædicandi, ac docendi populum suum Doctrinam Christianam, & eloquia Divina, juxta illud, *Labor ego super eloquia tua: sicut qui invenit spolia multa. Psal. 118 V. 162.* illumque non pigebit imitari Salvatorem, *Qui erat quotidie docens in Templo. Luc. 19. 47.*

DECISIO XXIX.

ARGUMENTUM.

Declaratur, quinam sint Usurarii manifesti; & duodecim poenæ infliguntur de Jure contra illos.

SUMMARIUM.

1. Pena quam de Jure sint infligenda contra Usurarios?
2. Restitutio quomodo facienda ab Usurariis?
3. Usurarius manifestus qui censetur?
4. Sacramenta deneganda Usurariis publicis: & auditio Missæ.
5. Sepultura Ecclesiastica quando sint incapaces Usurarii?
6. Usurarius an repetat usuras à se aliis solutas?
7. Appellatio non datur à sententia condemnatoria Usurarii.
8. Testamenta Usurariorum non sustinentur.
9. Usurarii expellendi à civitatibus. Et sunt infames.
10. Usurarius non potest fieri clericus.
11. Pena contra Usurarios an incurvantur ipso Jure?
12. Exemplum Usurarii à Deo puniri.

Succ.

- ¹ **S**uccessive quaritur; Quæ, & quot sint pena à Jure inflictæ contra Usurarios? Responsum fuit cum distinctione: Vel Usurarius est occultus, & contra hunc nulla alia est inflictæ poena, quam illa Juris Divini, & Naturalis, videlicet, ut poeniteat, & restituat Usuras, ad hoc ut mereatur evitare æternum supplicium. Reginald. in *Praxi fori Penit.* lib. 23. num. 92. Molin. de *Just. & Jur. disp.* 327. num. 4. & ibi S. Thom. 2. 2. quæst. 78. art. 3. Et Sotus 6. de *Just. quæst.* 1. art. 4. concl. 2. qui omnes advertunt, non solum rem per Usuram acquisitam esse Domino restituendam; sed etiam fructus: Quod si Usurarius pecunias, vel res usu consumptibiles usurariè acquirerit, non solum earum valorem restituere tenetur Mutuatariis, sed etiam lucrum cessans, & damnum emergens ex eo, quod Usurariæ res non fuerint eis restitutæ; quod notare debent Confessarii, ut rectè sciant se gerere cum Usurariis Poenitentibus, si tamen detur eos, poenitere.
- ² Vel Usurarius est manifestus, ille scilicet, qui palam in foro, vel domi fœnus exercet. cap. 1. de *Usur. lib.* 6. vel in judicio confessus est. *Gloss. ibid. Verb. Manifestos*, sive etiam extra judicium coram pluribus. Menoch. de *arbitr. casu* 231. num. 21. Canisius de *Usur. cap.* 8. num. 7. vel si testibus convictus. Mantica de *tacit. lib.* 8. tit. 19. Aut instrumentis, ejusvè rationum libro. Leotard. de *Usur. quæst.* 100. num. 18. & 19. Vel ex publica fama, & communi hominum opinione, sententiaque Judicis condemnatus de Usura existit. Thes. de *Penis Eccl.* pag. 2. Verb. *Usurarius cap.* 7. Leotard. d. quæst. 100. num. 22. & contra hunc reperiuntur inflictæ de Jure poenæ duodecim.
- ⁴ Prima est denegatio Sacramentorum, donec plenariè, & realiter Usuras restituerit, vel idoneam cautionem præstiterit de restituendo pro viribus patrimonii sui. cap. Quia in omnibus de *usur. & cap. Quamquam eod. tit. in 6.* Quæ cautio esse debet Pignoratitia, vel Fidejussoria; aut si hæ dari non possunt, saltem juratoria. Thesaur. d. Verb. *Usurarium cap.* 1.
- Secunda est, quod non permittuntur Missæ ministrare, aut interesse. Ugolin. de *Usur. cap.* 24. num. 5. Concil. Trid. sess. 22. in *Decret. de observ.* & vitand. in celebr. *Missar.*
- Tertia est, ut non admittatur ad oblationes sive in Missa, sive extra Missam Deo dandas: nisi essent ex contractu debitæ, puta pro celebrandis Missis, vel pro eleemosynis pauperum. Thes. d. Verb. & cap. 1. Ugolin. d. cap. 24. §. 1.
- ⁵ Quarta est, ut non possit admitti ad Ecclesiasticam sepulturam, etiam si poenitens decesserit, nisi prævia restitutione, vel præstita cautione supradicta de restituendo, d. cap. Quamquam, & in cap. Quia in omnibus, & Clem. ubi *Gloss. de Sepult.* At si usurarius mortuus sit impoenitens, etiamsi ab hæredibus fieret restitutio, carere debet Ecclesiastica sepultura. Ugolin. d. cap. 24. §. 2. num. 1. Aded ut sit necessaria restitutio cum Poenitentia, & Poenitentia cum restitutione; aut saltem cum cautione de restituendo. Qui verò contrāfecerint, & absque his requisitis sepelierint usurarium manifestum in loco sacro, incurrunt in poenam excommunicationis per Clem. 1. de *Sepult.* & ulterius si Religiosi sint, in poenam suspensionis à Divinis d. cap. Quia in omnibus. De *Usuria*. Thesaur. d. Verb. *Usurarium poena cap.* 1. ubi *Verf.* Adverre notat, cadaver dicti usurarii esse exhumandum, & ejiciendum de loco sacro ad sepulturam Afini; ut scriptum est 4. Reg. 23.
- Quinta est, ut si ipse usurarius alteri solvisset usuras; non auditur super earum repetitione, nisi ipse prius aliis restituerit. cap. Quia frustra 14. & cap. Michael. 17. de *Usuris*, Leotard. dict. quæst. 100. num. 43.
- Sexta est, quod si usurarius conventus sit in judicio, obligatur edere calendarium suum, id est librum rationum. Clem. 1. S. Ceterum de *Usur.* Ugolin. de *Usur. cap.* 23. §. 2.
- Septima est, quod usurarius condemnatus ad restitutionem usurarum appellare non potest. cap. Quam perniciosum 11. de *Usuris*, Ugolin. de *Usur. cap.* 24. §. 7. Joan Bapt. Lup. *Comm.* 4. n. 15. De *Usuris*.
- Octava est, ut usurarium testamenta non valeant, neque codicilli, neque donationes causa mortis, nisi usuras restituerint. Burbos. in d. cap. Quamquam num. 8. & 9. de *Usur.* Card. de Lugo de *Just. & Jur. disp.* 24. num. 70.
- Nona est, quod usurarius extra ordinem puniri potest Judicis arbitrio. l. Hodie ff. de *Penis*, Menoch. *Casu* 398. num. 41. Decian. *Tract. Crimin. lib.* 4. cap. 26. num. 3.
- Decima est; quod manifestis usurariis prohibitum est locare domus sub poena censurarum cap. 1. de *Usur. in 6.* Leotard. d. quæst. 100. num. 71.
- Undecima est, quod incidunt in publicum odium, & civitatibus sunt expellendi. Ripa in lib. de *Peste cap.* 5. num. 5. num. 247. Leotard. ubi supra numer. 72. & 73.
- Duodecima Usurarius manifestus est etiam infamis. l. Improbum fœnus 20. C. ex quibus causis infamia irrogetur. cap. Inter dilectos, de excessib. *Prælator. cap. Infames* 3. quæst. 7. & ideo Clericus fieri non potest, quia est irregularis, neque ad beneficia est promovendus; imò si Clericus esset, suspensionem incurrat; & si in tanto facinore perseveret, est deponendus, ac beneficiis privandus. Leotard. de quæst. 100. num. 42. & Thesaur. de *Penis d. verb. Usurarius poena cap.* 1. & Abbas in d. cap. Inter dilectos num. 6.
- Quod si quis quærat, an incurrantur dicta poena ipso Jure? Tres sunt opiniones. Prima Negativa, eo quod requiratur, ut tales usurarii sint publicè denunciati, & declarati juxta Extrav. Martini V. Ad evitanda. Thesaur. verb. *Censura cap.* 4. Suarez de *Censur. disp.* 31. sect. 2. num. 10. Filliuc. *tract.* 17. num. 100. Secunda Modificativa, quod sufficiat sententia specialis condemnans usurarium tanquam reum de publico hoc fœnoris delicto. Menoch. de *Arbitr. Casu* 335. num. 12. & 13. Tertia affirmativa, & ideo non est opus sententia, eo quia ipso Jure incurruntur dictæ poenæ ab usurariis manifestis, qui quidem vitandi sunt, non ratione censuræ, sed ratione criminis notorii. Sylvest. verb. *Usura* 9. quæst. 4. Quarta. Thesaur. de *penis d. cap.* 1. ubi plurimos allegat ita tenentes. Sed noret studiosus lector horribilem punitionem, reportatam ab Usurario, quam narrat Augustinus Mannus Presbyter Congregationis Oratorii de Urbe in *Selectis Histor. cap.* 94. his verbis.
- In Civitate Theatina, quæ est apud Brutios, erat

erat quidam Vir doctissimus, qui penè maiorem partem facultatum suarum fœnore comparaverat. Hic Deo ulciscente in corpore, quod in ære malè quæsserat, lepra percussus est. Cum autem quadam die gravissimè hoc morbo torque-
 12 rat, Beatam Virginem invocans, deliberavit mittere elemosynæ gratia centum aureos ad domum Lauretanam; ut ipsa impetraret ei ab ejus filio ægri corporis munditiem. Dedit ergo crumenam cum centum aureis famulo suo, qui eos ad Sanctissimam Domum pertulit, & reversus invenit Herum, mirabile dictu! à terribili lepra liberatum. Divulgato miraculo, plures amicorum ejus sibi congratulabantur de sanitate recepta. Unus amicissimus fuit, qui ei dixit, rogo te, ut manus tuas mundatas amplius non coinquines fœnoribus; ne lepra, quæ ob fœnora te percussit, iterum revertatur ad te, aut deterius tibi aliquid contingat. Respondit, qui sanus factus erat subridens: Si fœnerari peccatum esset, Beata Virgo mecum fœnus non exercuisset: oportuit enim pro sanitate recuperanda centum aureos me mittere ad illam. Horruit ad tantam blasphemiam amicus, qui objurgavit ingratum, & abiit. Nocte sequenti, cum dormisset avarus, ac blasphemus ille, expegefactus clamare cepit ejulatu magno: Auxiliemini mihi crucior nimis. Morior: subitus renes meos sentio quasi titionem igneum, cujus ardore nimis crucior. Cucurrit Uxor cum famulis, & repperunt eum nova lepra percussum, inquirentes verò quid esset, quo cruciabatur sub renes? invenerunt ibi crumenam cum centum aureis, quam ad Lauretanam Domum transmiserat, eam cum vidisset Herus fœnerator exclamavit dicens: Veli mihi misero, quia damnatus sum: & paulò post miserabili morte fuit consumptus. En punitionem Usurariæ pravitatis, blasphemiz, & ingratitude.

DECISIO XXX.

ARGUMENTUM.

Disputatur casus frequens in Praxi de animalibus datis in societatem alicui rustico sub certa annua pensione, & ad caput salvum; id est, ut reddatur eadem æstimatio, ac pretium, quo empti fuerunt ipsa animalia. Ostenditur talem contractum esse Usurarium, ac traduntur plures regulæ pro cognoscenda injustitia eorum, qui faciunt societates salvo capitali.

SUMMARIUM.

1. Boves emptos, & datos bubulco ad ejus periculum, & cum lucro domini quinam contractus sit?
2. Mutuum censetur erogare pecuniam ad emendos boves.
3. Lucrum cessans facit licitum pactum de utilitate in mutuo.
4. Periculum rei vendita spectat ad emptorem.
5. Pretium solvi potest non solum in pecunia, sed etiam in re æstimata.
6. Lucrum ex re fructifera vendita nondum soluto pretio Venditor capere potest.
7. Societatis contractus censetur dare boves rustico ad lucrum.
8. Assuratio capitalis in Societate an licita?
9. Fructus in qua summa taxandi pro omni centenatio capitalis?

Doct. Clericali Tom. II. Lib. IX.

10. Boves dare rustico sub certa pensione annua, est locatio, & conductio.
11. Periculum rei locata spectat ad locatorem.
12. Contractus natura cognoscenda ab effectibus, non à nomine.
13. Locare alteri animal pro certa pensione, & eo semper salvo, est Usura.
14. Venditor rei quando ob non solum pretium possit sibi reservare fructus ejusdem rei?
15. Agrorum venditorum non soluto pretio potest Venditor sibi reservare fructus; secus in rebus mobilibus, quæ usu consumuntur.
16. Fructus rei vendita non soluto pretio, si venditor sibi reservat, debet ad eum pertinere etiam periculum ejusdem rei.
17. Socius, qui vult utile, non autem periculum, injustè agit.
18. Animalia æstimata dare in societate cum lucro, & quod eadem æstimatio restituatur, est Usura.
19. Sixti V. Constitutio contra Usurarias Societates ob caput salvum.
20. Assuratio, & venditio lucri incerti inter socios illicita.

Bubulcus rogat Herum, ut sibi mutuaret pecuniam ad emendos boves pro colendis agris. Herus in prato Vallis, bubulco stipulante, jugæ boum emit scutis nonaginta, quos concedit eidem Bubulco per triennium his tribus pactis. 1. Ut singulis annis sibi modium frumenti solvat. 2. Ut, si mori boves contingat, Bubulcus eorum pretium solvat. 3. Ut finito triennio boves consignentur Hero sub nova æstimatione, & si scutis nonaginta æstimati non fuerint, sed minoris; Bubulcus suppleat suæ usque ad dictam summam. Quæritur, An contractus, & pacta prædicta sint licita, & legitima?

In tot numerosis responsis, circa hunc Casum datis, reperi quatuor sententias, quatuor diversorum contractuum naturam autumantes; videlicet Mutui; Emptionis, & venditionis; Societatis; ac Locationis, & conductionis. Priores tres opiniones conantur ostendere, pacta in casu posita esse legitima. Sed ultima contrarium comprobatur. Omnes referam, tanquam ingeniosas, & doctrinis fultas.

Prima igitur sententia ait, contractum, de quo in casu, Mutuum fuisse, ex eo, quod Bubulcus rogavit Herum, ut sibi mutuaret pecuniam ad emendos Boves; & Bubulco stipulante empti sunt Boves; idcirco Herus non emit boves, sed pecuniam mutuavit Bubulco emptori boum; & sic inter Herum, & Bubulcum contractus Mutui initus fuit; quo stante secundum, & tertium pactum legitimum remanet; videlicet, quod periculum boum sit Bubulci, & quod debeat restituere eandem summam scutorum nonaginta; nam extra omnem controversiam est, rem mutuo datam, si pereat, perire mutuuario. lib. 2. ff. Si cert. peratur. §. Item is. Institution. Quib. modis re contrah. oblig. Rebell. de Obligat. Just. lib. 8. quasi. 1. num. 6. & tantundem esse restituendum, quod fuit acceptum. leg. Cum quid. 3. ff. Si cert. per. Molin. disputat. 299. num. 1.

Igitur tota difficultas reducitur ad primum pactum; scilicet Ut singulis annis Bubulcus solvat Hero modium frumenti; quod, stante mutuo, est usurarium. At videtur defendi posse hoc pactum, ratione lucri cessantis, vel damni emergentis, quod Herus sentire, vel pati potest ex datione 90. Scutorum; siquidem quilibet præsumitur pecuniam suam non otiosam tenere; sed eam
 G utili-